UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Bene Meditandi

Berzetti, Nicola

Coloniae Agrippinae, 1658

Quædam circa personas verba, & actiones consideranda.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-56496

Visual Library

quod agnovit fugiendum permoveat, ut mox dicetur.

Quænam circà perſonas, verba, & actiones conſideranda.

QUandoquidem inter impedimenta meditationis invenitur ariditas, quæ frequenter inde naſci ſolet, quod quis ignoret, quid circà perſonas, verba, & actiones conſiderare poſſit, & ſufficeret dicere in communi, circà perſonas expendi poſſe affectus, cogitationes, & interiores ipſarum virtutes, ſimul cum externâ compoſitione, moribus, & aliis conditionibus ac circumſtãtiis propriis: in verbis ſenſum tã proprium quam metaphoricum,

finem ad quem ſunt prolatâ: in actionibus ſubſtantiam atque eſſentiam illarum, circumſtantias temporis, loci, modi, finis, & ſimiles, nihilominus ſubjungam quædam magis particularia tam circa perſonas, quam circa verba & actiones ut quicunque ſe hoc malo ariditatis liberare voluerit, eadem vel omnia vel aliqua conſiderare poſſit, prout tempus aut materia requiret. quemadmodũ autẽ incipientibus expedit, quãtũ fieri poteſt, paulatim omnia, ſaltem in uno alterove myſterio percurrere, ut aſſueſcant materiã invenire; ſic provectioribus non eſt opus alia aſſumere, quam quę cuivis myſterio ſunt propria.

Nec miretur quiſquam, tam multa, tamque minuta hoc loco à me poni; nam ſicut juxtà S. Baſilium in ſacrâ ſcriptura quæ narrat myſteria, nullum verbum, imo nulla ſyllaba pro minutâ haberi debet; ita quoque nihil minutum eſſe poteſt, quod ad illorum conſiderationem juvat; & licet intelligentioribus ſuperfluum videri poſsit, incipientibus verò confuſionem aliquam pariturum, quod tam multa tamque varia illis rerum diverſarum capita objiciantur, & termini quidam conditionum ſeu qualitatum, quos ſubjiciemus, Philoſophici, ab omnibus non ſatis intelligantur, bonum tamen

eſt breviter & quaſi ſummariè ſimul collectum habere, quidquid meditaturo uſui eſſe poteſt, ut fructuosè occupetur, ut cui unum non ſuccedit, ſuccedat alterum; & qui unum non intelligit intelligat aliud, quod tantam ſcientiam & cognitionem terminorum non requirit; præſertim cum circa illa ipſa ſancti, qui divina ſunt meditati ſeſe occupaverint, ut facile notant, qui ſcripta illorum pervoluunt, inprimis S. Ambroſii, Auguſtini, Ioannis Chryſoſtomi, Hieronymi, & aliorum, qui ſacra Evangelia ſive in ſenſu literali, ſive morali explicant. Neque egò intendam quem-

quam obligare ut omnia quæ hic dico obſervet, neque ut illo ordine, quem teneo, expendat: præterquam quod non omnia ſint pro omnibus perſonis: neque in omnibus myſteriis facile omnia poſſint conſiderari.]

Conditiones Perſonarum.

CIrca perſonas ergo 1. attendi poteſt eſſentia ſeu natura illarum, ſitne divina, vel Angelica, vel humana: ſimplex an cōpoſita; perfecta, vel imperfecta: dependens ab alio in eſſe & operari, vel independens. 2. ad ſubſtantiam, num ſit corporalis, vel ſpiritualis; mortalis